DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS
QUAEDAM DE
MANIA
COMPLECTENS,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

HENRICI ALBERTI SCHULTENS,

A. M. LINGUARUM ORIENTALIUM ET ANTIQUIT. JUD. PROFESSORIS ORDINARII, M. S. S. LEGATI WARNERIANI INTERPRETIS.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& *Nobilissimae* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime consequendis,

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

JOSEPHUS MASON COX,

BRITANNUS.


Soc. Reg. Med Edin. Sodalis.
Soc. Physic. American. Edin. Soc. Extraordin. nec non
Soc. Nat. Stud. Edin. Soc.

Hail, auful Madness, hail
Thy realm extends, thy Powers prevail
Far as the Voyageur spreads his venturous sail
Nor best, nor wisest are exempt from thee
Folly —— Folly's only free.

Penroses flights of Fancy P. 16.

Ad Diem XVIII. *Junii* MDCCLXXXVII. *H. L. Q. S.*

LUGDUNI BATAVORUM,
APUD FRATRES MURRAY,
MDCCLXXXVII.



Amico ſuo dilectiſſimo

RICHARDO PEARSON, M. D.

ob amorem fere inſatiabilem

Scientiae omnigenae

Ingenii modeſtiam

Morumque urbanitatem,

haſce in arte ſalutifera primitias,

Amicitiae pignus indignum

vel

Exiſtimationis ſincerae

Monumentum exiguum

ſacras eſſe voluit

A U C T O R.

Heraclite fleas, miſero ſic convenit aevo
Nil niſi turpe vides, nil niſi triſte vides.
Ride etiam, quantumque lubet, Democrite ride
Non niſi vana vides, non niſi ſtulta vides.
Is fletu, hic riſu modo gaudeat, unus utrique
Sit licet usque labor, ſit licet usque dolor.
Nunc opus eſt (nam totus eheu jam deſipit orbis)
Mille Heraclitis, milleque Democritis.
Nunc opus eſt (tanta eſt Inſania) tranſeat omnis
Mundus in Anticyras, gramen in Helleborum.

DEMOCRITUS, *Junior*,
Anatomy of Melancholy.

Revd. Mr. Evans
from his humble Servt.
The Author

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pag. 1. Lin. 24, *pro* auful, *lege* awful.
— —— 26, *pro* voyageur, *lege* voyager.
2, ——17, *pro* Hellebora, *lege* Helleboro.
7, —— 9, *pro* Illas, *lege* Illos.
8, —— 4, *pro* defignata eft, *lege* defignatæ funt.
—Notæ 12, *pro* nonnullus, *lege* nonnullos.
9, ——22, *pro* medicam, *lege* medicinam.
21, —— 6, *pro* indictis, *lege* inductis.
23, ——24, *pro* nveftigarunt, *lege* inveftigarunt.
31, ——21, *pro* ad, *lege* ab.
34, ——15, *pro rifide, lege refide.*
34, ——19, *pro* potefte, *lege* poteftate.
36, ——10, *pro* ejudem, *lege* ejufdem.
— ——13, *pro* nulra, *lege* nulla.
37, ——16, *pro* duitius, *lege* diutius.
38, ——11, *pro* majore, *lege* majora.
— ——13, *pro* necefiario, *lege* neceffario.
53 ——21, *pro* pæriculum, *lege* periculum.
49 ——27, *pro* premario, *lege* primario.
23 —— 7 *pro* canfa, *lege* caufa.
65 Notæ 25, *pro* frigus, *lege* frigore.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

MANIA.



Cum multis variisque Morbis Corpus humanum ſit obnoxium, nullus eſt tamen triſtior, nullus formidoloſior iis, quos communi nomine Veſaniam dixere Noſologi, nullus qui Medici, non ſolum ſolertiam, verum etiam patientiam, humanosque ſenſus meliori jure ſibi vindicare videatur.

Inter ea omnia quae proxime elapſo ſeculo, poſt reſuſcitatas potiſſimum literas, ut recenter, ſic leviter etiam invenit & excogitavit curioſa quorumdam inveſtigatio, nihil aut fere nihil deprehenſum fuit, cujus ope, quae propria ſit iſtorum Morborum ſedes, qua ratione

 cum

cum curandi, tum depellendi essent, certo & secure determinare possemus.

Quod in hac re Veteres habuere compertum, nos quidem videmur amisisse, cum liqueat ipsis tractandam persaepe fuisse Insaniam; & quamvis hodie densissimis versemur in tenebris circa saevas illas affectiones optimarum & praeclarissimarum quae in nobis sunt facultatum tamen has ab illis saepe fuisse depulsas fidem faciunt ipsorum testimonia, dubitare tamen licet an tam prosperos habuerunt successus, quod res de qua agitur melius ipsis innotuerit, aut quod ipsis quaedam fuerint medicamina, quorum operandi rationem aut ignorabant penitus, aut perperam explicabant, cujus quidem Rei exempla desumere licet ex iis quae de atra Bili & Hellebora sibi finxerunt.

Quamvis persuasum habeam quam ardua res sit de reconditis istis morbis differere, quamque, sim impar ipse augendis hac in re doctorum Cognitionibus, tamen cum amplissima hujus almae, Academiae instituta id ferant, ut, quicumque summum in ipsius sinu dignitatis gradum ambiunt, nonnihil afferant, quod argumento sit se virilem medendi arte navasse operam, illam Vesaniae speciem quam Maniam nuncupant, augustæ Societati adscribendus

dus tractandam elegi, hoc ferente maxime officio meo, quandoquidem qui fato quodam acerbo, his Morbis laborant mihi ſint per omnem futuram vitam potiſſimum curandi.

His quidem de cauſis ſequentia conſcripſi, quae non niſi maxime mihi diffidens in medium afferre audeo. Si tamen potero referre enumeratas ſcriptorum optimorum ſententias, intermixtis quæcumque ex illis collatis comparatisque enaſci poterunt, cum adhuc tam ſim in arte juvenis, tamque parum exercitatus, muneri meo, ni fallor, ſatisfeciſſe videbor. Haec igitur prefatus ad rem ipſam devenio.

Cum ex conſideratione ſpecierem omnium quae ſub Veſaniae vel potius Inſaniae nomine numerari poſſent, amplior oriretur ordo quam qui hic commode tractari poſſet, intra illius ſpeciei limites quae Mania dicitur, continere me praecipue ſtatui, quamvis arcta cognatio quae hanc inter & Melancholiam intercedit id mihi muneris ſit impoſitura, ut de poſteriori nonnulla obiter dicam, praeſertim cum interdum adeo ſit difficile dignoſcere utrum Mania ſit an Melancholia. Sic annotavit Dom. Williſius (*a*). „ Melancholiae

(*a*) Vide Epiſt. VIII. Tom. 3. pag. 47.

liae Mania in tantum affinis eſt, ut hi effectus ſaepe vices commutent & alteruter in alterum tranſeat quin ſaepius dubitantes medicos videas, hinc taciturnitate & metu, hinc loquacitate & audacia in eodem ſubinde alternatis, Melancholicum an Maniacum pronuncient." Multos idem ſenſiſſe videmus Auctores, ita illuſtriſſimus Boerhaavius (*a*) dicit, „ Mania Melancholiae Proles"; ut etiam Alexander (*b*) Trallianus qui de eadem materia differens." „ Nihil enim aliud eſt Inſania quam Melancholiae ad majorem feritatem intenſio."

Neque abſonum erit annotaſſe me ſaepius uſurum eſſe vocabulo Inſaniae generali ſenſu, nonnunquam etiam omnes hos affectus communi Veſaniae nomine eſſe deſignandus. Ut uſitatum ſequar ordinem, nunc ad definitionem progredior.

Sauvageſii mihi videtur optima illa quam ſic ab eo traditur.

D E-

(*a*) Alphoriſm. 1119. Sed Exempla occurrunt nonnunquam Maniacorum, quorum Morbus a Melancholia inceperat, & videmus ambas has affectiones inter ſe alternari, atque ita alternis vicibus eſſe Patrem & ſobolem.

(*b*) De arte medica Lib. 1. Cap. 17.

DEFINITIO.

„ Delirium universale cum furore, vel audacia & morbo diuturno ".

HISTORIA MORBI.

Insaniam veteribus notam fuisse in dubium revocari nequit. Libenter tamen crediderimus hujusmodi affectiones non adeo, recente adhuc Mundo, quam hodiernis temporibus invaluisse & hae quidem tam late nostram illam Magnam Britaniam occupasse putantur, ut similis quaelibet affectio, generis praecipue Melancholici apud caeteras gentes *Morbus Anglicus* dicta fuerit. Haec adeo vulgata fuit opinio ut Sauvagesius in sua Nosologia quamdam Melancholiae speciem commemoraverit quam Anglicam nuncupat. Quibusnam de Causis tam saepe occurrat praesertim in Anglia, haud facile dictu est. Verisimile tamen est ad producendum hunc morbum non parum conferre diversum Victus genus, praesertim quum frugali & laudatae Majorum nostrorum mensae intemperantior successit, cumque in pluribus nostratum haud dubia occurrant saturninae indolis indicia, sicque illi, postquam haec exquisite formata fuerit, re-

cipiendae in se Insaniae sint praedispositi. Cum vero Victus in his Causa excitans fieri possit, ad rem evolvendam haec nonnihil auxilii praestare possunt. Nonnulli quidem hoc penitus attribuerunt frequenti victus animalis usui, & sic ream constituerunt Bubulam nostram exquisitissimam. In hunc animalem victum praecipue animadvertit Galenus (*a*), damnatque tanquam crassum melancholicumque sanguinem procreantem, ac proinde atram illam Bilem suam, cujus tam praecipuas putat esse partes in Insania generanda. Utrum hoc ille merito, an non, hic perpendere non est animus. Hoc unum annotabimus, quaecunque sit tandem vera Causa, pauciora nempe famam ad nos deferre Insaniae exempla apud gentes barbaras sive veteres sive recentiores, patetque, in jejunioribus Magnae Britanniae partibus, ubi nimiae opes & effraenata Intemperantia incolis haud ingesserunt calamitates illas, quibus solent suas sectatores remunerari, perraro hos morbos occurrere. Sic in septentrionalibus Caledoniae plagis, & in minus excultis Cambriae partibus rara est Insania.

Eo usque nobis antecelluere veteres Medici

(*a*) Vide Galen. l. 3. Cap. 1. de alim. fact.

ci in Mania curanda, ut Medicamina quaedam possedisse videantur, quorum ope, sanarunt quam plurimos. Observare tamen licet apud nos, inter mortales omnes, dignissimos misericordia esse Insanos, quandoquidem recentiores plerique Medici, se morbi ignaros, artemque impotentem suam malint confiteri, quam virili pro parte, se illuc conferre, quo humanitas illas imperiosa vocat, & officium; cum nempe hi infelices & calamitosi maxime sint cum cura & patientia tractandi, proindeque sollicitos tenerrimosque benigni Medici affectus, efflagitent.

Insaniam plerumque esse hereditariam maxima pars Auctorum arbitrati sunt. Sed, in hoc nulla constantia. Saepe enim effugit Parentum maniacarum soboles, docetque experientia hunc morbum saepe, in illos ingruere, in quos a Parentibus non fuerit derivatus. Cum vero parentum, non modo morbi, scrophula puta, Podagra &c. verum etiam vultus lineamenta, animi Caracteres, & quicquid illi habuerint peculiare, ad nos usque transmittatur eamdem sortem esse Insaniae quin putemus non vetat ratio, quamvis in qua Corporis dispositione & formatione posita sit penitus ignoremus (*a*). Il-

(*a*) Quamvis, si sint revera quidam Morbi hereditarii,

Illos plerumque Inſaniae obnoxios iſtoque morbo laborantes deprehendimus in quibus diverſae Corporis temperies exquiſite deſignatæ eſt, ſicut qui ſunt ſaturninæ & Melancholicae, Melancholia afficiuntur, & Mania qui ſunt ſanguineae Conſtitutionis, quamvis ille in quibus alterutra leviter delineata eſt, utrique eſſe obnoxii deprehenduntur, ſaturninique odiorum & vindictæ ſunt tenaciores: Obſervatque (*a*) Cullenus ſanguineos Maniacos ſae-

---

rii, quod negant nonnulli, dubitari non poſſit quin his adſcribenda ſit Inſania: nonnullos enim videmus, in quibus illius veſtigia ad veteres retro generationes deprehendi poſſunt. Saepius etiam per multos, imo & ad omnes gentis ramos pertinet & diffunditur. Si licet igitur augurari nonnullam vitioſam eſſe diſpoſitionem in ſyſtemate glandulari a Parente derivatam, cum ſcrophulam hereditariam videmus, aut in Pulmonibus cum ſe prodit phthiſis pulmonalis, haud minus facilis conjectura eſt, quamdam eſſe infelicem ſyſtematis nervoſi fabricam, quae tantam valeat gignere ſenſibilitatem, & iraſcibilitatem, ut Corpus ad hos calamitoſos affectus praediſponatur. Qui tamen a talibus orti parentibus, ita ſunt praediſpoſiti, in hoc nonnihil ſolaminis invenient, quod ſedulo a Cauſis excitantibus caventes omnino valeant horumce morborum eſſe immunes.

(*a*) Vide Practice of Phyſic Tom. 4. P. 167.

ſaepius convaleſcere. Apud pleroſque in conſeſſo eſt, Inſaniam multum invadere calidiores Regiones, in frigidioribus perraro occurrere, in temperatis vero, plures in eam incidere ardente canicula quam quolibet alio tempore. In hac tamen re explicanda variae ſunt doctorum ſententiae, cum viz nonnulli hoc omnino attribuant ſanguinis circuitui & revera Medici cum iſta inveſtigarent vitia intelligentiae, vix aliud conſiderabant praeter ſanguinis motum vel ipſius temperiem; attamen animadvertit Cullenus (*a*) ſolito more procedere, variiſque affici mutationibus intelligentiae operationes quamvis nec in motu, nec in temperie ſanguinis aliquid varietatis deprehendi poſſit. Attamen pro certo conſtat diverſos ſanguinis curſus multum valere in intelligentiae operationes: ſic febricitantis delirium hujus eſſe generis dici poteſt. Illud etiam apertius indicatur ipſa *Transfuſione* (*b*), cui

(*a*) Vide etiam Tom. 4. P. 123.

(*b*) Singulare hoc tentamen inducendi in Medicam in *Transfuſionis* uſum, in Gallia & Anglia primum fuit exhibitum anno circiter milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto; tantasque ſpes concitavit ſui, ut inter duas gentes lis diuturna fuerit, utraque, apud ſe prius inventam fuis-

cui quotquot fuere ſubjecti, ſubito evaſere Inſani, & animam infelicem delirandum inter exhalarunt.

In Anglia quoties hyemem frigidiorem ſubito excipit aeſtus vehementior, plures eſſe notatur inſanos, praecipue vero furente canicula ut antea dictum eſt, cum vero in regionibus ferventiori ſole aduſtis, febres occurrunt illae ardentes, & delirium ſecum invehentes, ex violentiori viz calore oriundae, & cum eamdem propter rationem ii qui has regiones incolunt ſenſus habent facillime irritatos & acerrimos, appetitus vero acutiſſimos, & oblatum quodlibet promptiſſime arripientes,

iſſe hanc artem, acriter aſſerente. Hanc in Italia primo a Libavio adhibitam fuiſſe, nec felicius quidem, eſt cur credamus. Ille enim proceſſum his verbis deſcribit. " Adſit juvenis robuſtus, ſanus, ſanguine plenus ſpirituoſo. Adſtet exhauſtus viribus, tenuis, macilentus, vix animam trahens. Magiſter Artis habeat tubulos argenteos inter ſe congruentes, aperiat arteriam robuſti & tubulum ingerat muniatque, mox & aegroti arteriam findat & Tubulum foemineum inſigat; jam duos Tubulos ſibi mutuo applicet & ex ſano ſanguis arterialis calens & ſpirituoſus ſaliet in aegrotum unaque vitae fontem afferet omnemque languorem pellet. Vide Gentleman's Magazine for. 1785.

tes, miranda pollent imaginandi activitate, & Cupiditatum impetu feruntur; quandoquidem praeterea sub gelidiori Caelo tam raro est Insaniam videre, his inquam omnibus perpensis, non est cur asseverare vereamur, calorem esse saepius remotam ut aiunt Insaniae causam, quamvis quonam modo eam progenerat operosum sit omnino explicatu, licet quidem non parva nobis exinde lux affulgeat, quod nempe tenuior fiat sanguis ideoque vasa ad ipsum recipiendum idonea magis adimpleantur. Et cum sanguis celerior per venas fluit, hinc forsitan oritur ille nervorum status qui in Insania locum obtinet. Quae quidem sententia eo verisimilior est quod eadem causa inusitatam quamdam gignit & adauget irritabilitatem, praecipue si vis ejus in caput exerceatur ut in eo morbo qui *Insolatio* vel ictus solis dicitur, cujus quidem rei plurima afferri possunt exempla & D. Battie (*a*) narrat a se visum fuisse nautam Brittanicum, qui subitum in furorem versus est dum in Caput ejus recte ferrentur Solis Radii.

Quamvis Febres intermittentes ex quo medicinam coluit celeberrimus Sydenhamus, Insa-

(*a*) Vide Battie on Madness. Pag. 47.

fania identidem fecuta fit, illa tamen alias febres faepius comitatur, praecipue vero fi ut animadvertit Hoffmannus fint eae diuturniores, quae quidem Infania ex nervorum ftatu morbis immutato forfitan profluit, & eodem modo explicari poffunt ea Maniae genera, quae Eryfipelate, Podagra, &c. inducuntur, quaeque fuerunt *metaftaftica* dicta.

Illud fuit a clariffimo Mead (*a*) notatum, cujus quidem notationis veritatem experientia evicit, adeo totam Corporis compaginem Infania occupari, ut caeteri quilibet morbi nullum fui fenfum faciant. (*b*) Quos femel in-

---

(*a*) Vide Medical Precepts & Cautions. Cap. III. Tom. 3. p. 42. & 44.

(*b*) Ita videre eft Infanos qui graffantium inter Contagia morborum evadunt incolumes; mihi que ipfi oblata eft animadvertendi copia, eo tempore quo faeviente per Angliam Influenza plurimi incolae laborarent, ex fexaginta infanis partem maximam intactam Lue fuiffe. Cujus quidem rei hanc poffumus afferre rationem, nempe quoties corpus uno agitatur ftimuli genere, toties alio & debiliori affici non folere. Sic Vitrorum opifices qui fingulari omnino obnoxii funt aeftui, hujus vim liquorum ope depellunt; dum, e contrario qui altiora Scotiae inhabitant fefe latice quadam forti dictam anglice *Whisky* contra Frigus muniunt, quod quidem utrisque pro-

invasit Mania, ii eo saepius relabi animadvertuntur, praesertim si eadem admoveatur causa, qua primitus fuerit inducta; cumque plures morbi certo ratoque tempore recurrere notantur quales sunt intermittentes, anginae &c. cumque mulierum Corpora continuam singulis mensibus effluviam emittunt, multi Medici imprimis antiqui, tale aliquid in hominibus locum obtinere arbitrati sunt, quam sui sententiam statutis Maniae reditibus satis evinci putabant, Maniam, etiam menstruales paroxismos habere narrant, hosque a Luna gubernari, ita ut ingruerent ea plena & decrescente; unde ortum est vocabulum *Lunacy;* sed hoc omnino imaginarium nos jamdudum deteximus.

Raro ante pubertatem sentitur Insania, & plerumque circa vigesimum aetatis annum grassatur, animadverti potest, eos quibus est corporis habitus *sanguineus*, ea maturius affici quam illi quibus est habitus *saturninus*, & quamvis in prioribus saevior sit & effera magis, attamen saepius sanari.

Hu-

prospere evenit. Sic novimus referente Dom. Joanne Hunter fieri non posse ut duo stimuli, qui contrarios progenerant effectus, in unum hominem uno & eodem tempore suam efficaciam exerceant.

Hujus morbi progressus & incrementa pro causarum remotarum varietate variantur, sic nonnunquam gradatim serpit, suique Indicia exhibet, nonnisi quibusdam affectionibus momentaneis, vel falsis judiciis, ad rem tantum unam spectantibus, dum aliis de rebus caeterorum hominum more judicat aeger; sed ingravescens morbus sui signum dat falsis rerum praesentium notionibus, & in perturbata tantum aegrotantium mente vigentibus; tandem infelices perpetuo delirio febris tamen experte affici videntur; animus vagabundus de re in rem raptim & sine discrimine fertur, de singulis quae attingit falso ratiocinatur, fit notionum inusitata quaedam collectio qua turbatur ratiocinandi facultas, & judicia quaeque absona maxime sequuntur.

Sic rem propter levissimam nascitur congeries quaedam secum pugnantium Idearum latissima & absurda valde. Mens varias cogitationes prosequitur, quarum singulas ut notat Cullenus cursim astringit, quod quidem peculiare est morbi argumentum, noscitur etiam exinde morbus quod cum ad aliquid agendum absonis istis judiciis impellitur mens, ad id perficiendum impetu rapiatur incredibili, utque mirum in modum, in iram proni sunt insanientes, si haec sit vel repressa vel intercep-

ta

ta debacchantur furibundi, non ſine ſummo aſtantium periculo.

Saepius fit ut falſum judicium unam circa rem verſetur, quam indeſinenter diſcutiunt, quemadmodum ac ſi nihil huic alienum mentem aliquando tenuit, hoc tamen plerumque in Melancholia laborantes incidit.

Qui Mania opprimuntur omnem abjiciunt Amorem & Venerationem eorum quos quondam habuere cariſſimos, & quidem propter quamdam acceptae vel accipiendae injuriae ſuſpicionem odio habent & execrantur. Attamen iis qui in Maniam cadunt, quamvis ira & rabie vehementi rapi videantur, opinione facilius timor injicitur; & ſaepe novas ineunt amicitias quas ſervant inviolabiles. Stupendum in modum virium extrinſecus allatarum ſenſum omnem exuunt, ſic alii medicinae quamvis ultra modum fortiſſimae, efficaciam ſuperant, alii noctes dieſque integros peragunt frigus tolerantes, nec inde quidquam detrimenti capere videntur, alii fami, ſomno, aliiſque Naturae neceſſitatibus mirifice reſiſtunt.

Creſcente morbo rarius ſeſe ratio exhibet, & tamen quamvis ſaeviat aegrotans & laeſae rationis documenta praebeat minime dubia, erranti judicio facile cognoſcenda, nonnun-

quam

quam tamen rebus de praesentibus & forte incidentibus recte judicat, quamquam his demptis & ab animo remotis (cum expatiatur late imaginatio) solita rerum confusio saepe recurrat, ut delirantis animi anxietas, & hoc est laborantis conditio plus minusve sanitatis habentes donec fausto Medicinae auxilio in propria sede collocatur ratio, & sensim comparantur amissae vires & valetudo. In morbum referri tamen facillimum est, ideoque vitandae sunt summa cum cura causae inductrices.

Sed infelici quodam fato accidit hunc esse raro harum pestium exitum, plerumque aegrotus, omnem dificiente intelligentia, necessariorum & amicorum caritatem repudiat, fit mentis eversae & vitiatae ludibrium. Una videtur esse delirii causa; falsae remanent & absurdae opininiones, & aeger talis per vitam perseverat sibi & societati prorsus inutilis.

Ante finitam historiam non abs re erit forsitan animadvertere dari quosdam quibus, cum sint mites & innoxii, tamen plerumque fieri acriorem ingenii aciem, iis esse uberrimam inventionis copiam, & in proposito exequendo astutiam mirabilem.

Is quem superius evolvimus solitus esse videtur morbi cursus, qui tamen aliquando aliis in-

intervenientibus morbis abrumpitur, his tamen ſublatis perpetuo recurrens, ſed illud quoque occurrit non praetermittendam huic funeſtiorem adjungi finem. Nece ſcilicet ab aegrotante ſibi allata.

DIAGNOSIS.

Maniam invenimus induentem ſe ſpecie, ſumentemque ſymptomata variorum morborum, qui animi facultatum quovismodo perturbatione conſtant. Frequentiſſimum vero ex ſignis diagnoſticis eſt, quod Maniae delirium nullâ febre, nulloque comatoſo affectu comitetur.

Eo ipſo a phrenitide diſtinguitur in qua etſi maximum ſit delirium, tamen pulſus multum celerior ſolito deprehenditur, rubet facies, apparentque caetera pyrexiae vehementis indicia (*a*) accidit tamen fortaſſe quod eaedem ſint cauſae remotae: ſic *inſolatio*, ebrietas &c.

Mania ab apoplexia omnibusque morbis ſomniferis, qui Carus, Cataphora, Coma &c. dicuntur, facile diſcerni poteſt: in his enim om-

(*a*) Vide Culleni Practice of Phyſic. Tom. I. p. 329.

omnibus, omnes sensus tum interiores tum exteriores pene suffocati sunt; quamvis ad instar Maniae vel ebrietas vel intempestiva solitarum evacuationum suppressio ipsis ortum dare possit; ut menstrui fluxus retentio haemorroidum &c. Apoplexia quidem proinde ac Mania Cupiditatibus non raro originem debet (*a*), datur hos inter morbos aliud discrimen; nam apoplexia vulgo aggreditur homines quorum magna sint Capita, breviora Colla, obesaque Corpora, dum quilibet maniacus fieri potest, & homines videas in Apoplexiam inopinatius incidere quam in Maniam licet ut Mania, aestivo in tempore crebrior sit, tumque magis, ut ait Dom. Cullenus (*b*), cum calor aestivus frigus hyemale proxime sequitur. Nihil autem unum ab altero morbum, diversum esse ostendit magis, quam falsum judicium, conturbataque idearum series quae Maniam anteeunt stipantque.

Mania indiciis certioribus ab Hypochondriasi secerni potest, quam Hypochondriasis a Melancholia; nam etsi in illa aliquis sit proprius animi status, gravior agendi modus, motus aversio, timor supervacaneus & ti-

(*a*) Vide Historiam Apoplecticorum Wepferi.

(*b*) Vide Tom. 3. p. 130.

timori mens pertinaciter adhaerens; quamvis etiam ut in Mania nulla ſit febris, non laeditur tamen aut judicium aut rationis facultas, niſi forſan de valetudine agatur, de qua mens ſemper eſt anxia: nec unquam exiſtunt furioſi, illi & violentes paroxiſmi, qui maniae Comites vel ſymptomata vulgo ſunt. Praeterea a Mania diſcernitur diſpepſia, quam ſaepius comitem habet.

Difficile eſt autem Maniam a Melancholia dignoſcere, quod tamen requiritur ut quis tuto poſſit praeſcribere. Auctorum pars maxima intellexiſſe videtur magnam hos inter morbos ſimilitudinem eſſe, imprimis autem Morgagni, (*a*) ut antea annotavimus. Plerumque tamen diagnoſin habemus ex eo quod in Melancholia rarior ſit Inſania, & apud pauciores perturbetur, judicium, licet & hoc ipſum non ſemper locum obtineat. Huic tamen indicio quisquis velit attendere dum varia perpendit morbo laborantium, temperamenta, diagnoſin quodammodo certam ſtabilire poterit.

Illi tamen Auctores qui Maniam & Melancholiam conjungi aliquando affirmarunt, nonne

(*a*) Vide Epiſt. VIII. 1 Tom. 3. p. 47.

ne languorem, animumque depressum, Maniae impetum ardentiorem quae sequuntur, pro Melancholia habere poterant? Neminem enim latet violentos illos motus qui locum obtinent dum paroxismus in Mania ad fastigium ardoris perducitur debilitatem maximam inducere.

CAUSAE REMOTAE.

De Maniae Caussis dum agitur, variis impedimentis & difficultatibus obnoxii sumus; hoc autem oritur ab ipsa rei natura quam nemo penitus introspicere potest & ab inperfecto incertoque lumine quod nobis scriptores suppeditant. Diversi Auctores Causas variorum morborum sub diversis nominibus indicarunt, haec autem nomina varia sunt prout morborum natura & affinitas requirere videbantur. Mea vero sententia necquicquam rem ad amussim perducebant, quia res plane easdem, diversas esse asseruerunt. Plerosque Auctores invenias qui Causas praedisponentes, occasionales & proximas recenseant tamen cum Dom. Arnoldo existimo, alias omnes ad proximam atque remotam redigi posse, quocirca in Causis remotis tractandis eas in duas Classes dividerem.

A.

A. In mentales, originales, vel ideales,
B. In Corporeas, ſecundarias, vel ſymptomaticas.

Sub prima Claſſe illa omnia collocarem, quae animi affectionibus conſtant, nimio literarum ſtudio indictis, cupiditates pariter maxime violentas indultasque, ut Gaudium, Metus, Amor &c. caeterasque omnes quae ab imaginatione vivida, exquiſitoque ſenſu defluunt; ortum plerumque debent alicui corporis parti male formatae, unde ſaepe naſcitur imbecillitas mentis, quae in peſſimum genus inſaniæ vulgo deflectit, ſemper fere inſanabile.

In ſecundo ordine illa omnia jure enumerari exiſtimo, quae morbum ſuſcitare poſſunt, in corpus prius agendo, ejus generis illa forſitan aëſtimanda ſunt quae in diſſectione Maniacorum inveniuntur, ut inſolita quaedam cerebri, viſcerumque textura, quae tamen pro effectu vulgo haberi debet. Ejusdem generis pariter, illa eſſe judico, quae totum corpus pervadentia, propter aliquam in ipſius contextu effectam commutationem, ad Inſaniam poſſunt perducere, talia ſunt morbi acuti, Variolae, Phrenitis, aliaeque febres in quibus delirant homines, talia ſunt item diverſa regio, diverſa aeris temperies, calor nimius, aut frigus inſolitum &c. omnia

denique illa quae Sympathia aut translatione gignunt Infaniam, prioris generis eft omnis vifcerum infirmitas, vel vicinarum partium conditio male fana, quae caufa poteft effe morbi remota, five cito in nervos agat, five tardius incedens, tantam in corpore mutationem efficiat ut ad Infaniam perducat. Inter haec etiam recenfendi funt omnes, quibus quaelibet pars laborat angores.

In fecunda divifione nempe quae translata diximus, illa comprehendere oportet quae confuetas evacuationes retinendo caufae deveniunt, ut menftrualis fluxus, haemorrhoides, lac retentum &c. nec non illa omnia quae Stomacho ingefta fortitur agunt, ut Venena, liquores qui inebriant &c.

Hic fortaffe annotare haud abs re erit, fieri poffe nonnunquam, ut vir qui aegrotat, Melancholia aut Mania afficiatur prout caufae excitantes plus minusve roboris habeant, vel corpus inveniant irritationi magis aut minus obnoxium, haec vero fententia non abfona videtur, quia plerosque videas labe quadam hereditaria affectos, in quibus non aliud morbi veftigium reperitur, quam mira quaedam nervorum irritabilitas, quae tam innocua manet donec adhibita fuerit caufa exitans, unde fit ut plurimi incolumes totam

pe-

peragant vitam, dummodo suscitantes causas sedulo vitare studeant; & si qui sint, qui omni adhibita cura, pereunt tamen ex malo, sequitur tantum, causas omnibus vitari non posse.

Maniae causam alii volunt esse otiosam inerteque actam vitam; saepius tam in causa est, nimius laboribus Corpus exercitum.

In remotis Maniae Causis tractandis non tanta cum fiducia procedere possumus, ac in caeteris morbis, in quibus mens parum afficitur, quoniam mentis & corporis agendi modum inter se parum perspectum habemus, ad hypotheses confugimus. Nemo tamen inficias ibit, Sympathiam quamdam locum obtinere unumque in alterum multum influere, unius enim opera alterius voluntatem sequuntur. (*a*) Hofmannus eo usque pervenit ut asseruerit mentis habitum maxime pendere ex constitutione corporis; & sane varios corporis status, mentis etiam commutare affectus dubitandum non est. Nobis lugendum est eo quod ii ipsi percelebres viri, qui varias humani Corporis partes investigarunt, istius mutui operis rationem red-

---

(*a*) Vide Hoffmannis de Animo sanitatis & fabro. Oper. Tom. 5. p. 259.

reddere non potuerint; multa Maniacis propria procul dubio invenerunt, nihil autem quod ostenderet quo pacto Insaniam pro sequela haberent. Frustratas fuisse hac de re spes Halleri (*a*) videmus; pro certo habens enim, non parum commodi deduci posse, ex cognitione varietatum, quas praestant aliquando Maniacorum corpora, ut quis varia Cerebri explorata haberet munera varias ea de re compilavit historias ipse tamen fatetur se nullum fructum ex ejusmodi laboribus percepisse. Morgagnius (*b*) quoque declarat ea multoties in iis reperta fuisse quorum morbi longe discrepabant ab Insania.

Omnia Mentis Opera, cupiditates, sensationes & cogitationes &c. comites habent motus aut vibrationes plane similes (*c*); hujus rei naturam caligine quamvis sit involuta, ut certam spectare debemus, variis comprobatur exemplis sic alacres & tranquilla mente donatos invenimus sanissimos vulgo esse; dum qui

---

(*a*) Vide Halleri Elementa Physiolog. lib. 17. Sect. 1. Tom. 5.

(*b*) Vide Morgagni de sedibus & Causis morborum.

(*c*) Vide Hartley *on Man.* Pars 1. Cap. 1. tom. 1. p. & 114.

qui iracundiae indulgent, perniciem inferunt Corpori. Non desunt exempla quae ostendunt dari corporis status quosdam qui nisi mentem afficiant, disponunt saltem ut facilius adhibita causa affici possit.

Iracundiam his & similibus in ipso Corpore dignoscimus vestigiis, irato scilicet non idem in vultu color manet, non ut antea fluit sanguis, respirandi libere potestas intercluditur, cunctis quinetiam membris ingruit tremor, adeoque nonnunquam sævit vis morbi ut e sede sua expellatur anima, morsque superveniat repentina. Quam fideliter inter se Corpus animusque, alter alterius impulsui alterno, respondeat, ex hoc quoque deprehendimus, quod liquoris cujusvis generosi paucis exhaustis poculis, haud dubia statim sequantur in mente signa; acuitur enim ingenii cuspis, vultus laetitia perfunditur, scintillant oculi, veraces illi mentis interpretes; pauca vero prioribus adjeceris pocula, delirii apparent mora nulla, signa atque symptomata, ea tamen in aliis alia, nonnulli enim ex usu iterato, nisi forte modum excesserint vel haustus adhibuerint largiores, parum aut nihil commoventur; nec immerito delirium istud Maniam quamdam appellaveris; licet enim feliciter ut plurimum citoque transeat, nonnunquam tamen

D in

in dementiam convertitur veram perpetuamque.

Quod autem ſpectat ad primum ordinem, cauſarum remotarum quem mentalem vel idealem nominavi, intelligendum eſt eum dementiae cauſam eſſe poſſe, dummodo ingenium plus aequo intendatur: ſic ait D. Arnold, (*a*) qui leves ſunt & momentarii ſive affectus ſive cogitationes, leviter tantum breveque per tempus ſentiuntur. Contra autem acris & ſedula cogitandi ratio, atque in unam rem non intermiſſa animi intentio, mentem deprimunt, anguntque; unde fit ut hebetem effectam, non amplius commoveant mitiores ſtimuli, quod tamen ſanitati maxime conduceret. Igitur illud laboris ſtudium vix cohibere poteſt animus, neque ab ea re cui dudum ſtudebat ſeſe facile abſtrahit, (*b*) amiſſaque ſemel ex maxima par-

---

(*a*) Vide Obſervations on the Cauſes &c. of Inſania Tom. 2. p. 292.

(*b*) Illuſtriſſimus Boerhaavius narrat, ſe mentem tam pertinaciter per unum diem cujusdam rei inveſtigationi adhibuiſſe, ut per ſex hebdomadas ſomno indulgere non potuit. Vide praelectiones ejus academicas in proprias rei medicae inſtitutiones. Tom. 7. p. 141.

parte vim ſuam propriam regendi poteſtate, raro eam denuo recuperat, fitque tandem quaſi intermortua, cogitationum quarumlibet ineptarum ludibrium, quid plura! debellatur ratio ejusque ſedem victrix pervadit Inſania. Eaedem cauſae prima ſpargunt, Inſaniae ſemina, non ſolum quia mentem aut nervos afficiant, ſed quia corpori infeſtae multis illud incommodis onerant, unde vires debilitantur, ſtomachus & Ilia enervantur, oritur Dispepſia &c.

Secundus cauſarum remotarum ordo, corporeus nempe ſymptomaticus &c. multifariam fortaſſe ſubdividi poſſet, prout illae cauſae cerebro machinatim operantur, externe, vel interius agentes, membranas inflammant, diſtentae nimis membranae, extravaſati humores, exortaque quaedam incruſtata corpora, diviſioni quoque dant locum, hoc tamen inutile prorſus videtur.

Quibus modis Inſaniam procreare poſſunt eae cauſae, quae Cerebro propius operantur, ſuſpicari licet ex affinitate haud incerta quae Inſaniam inter, & Delirium febris exiſtit; caeterarum cauſarum agendi modus nos plane latet.

Influentiae illius quae inter diverſas Corporis partes & Corpus inter & animam exiſtit,

ſtit, cauſa videtur eſſe ſympathia, in omni corporis parte ſenſibili viget, propter nervorum conjunctam ſeriem. Sic miram inter viscera abdominalia ſympathiam detegimus; oritur procul dubio ex iteratis nervorum plexibus quos inter datur communicatio, ea vero ſympathia nusquam magis apparet quam ſtomachum inter & alia viſcera. Hoc enucleari poteſt ex cognitione nervoſorum plexuum qui ad maximum illum formandum qui *ſolaris* dicitur, conſpirant, infra ſtomachum reperitur in medio Corporis fere, cum ſenſationis atque ſynpathiae fontem dixerim, neque eundem, ſenſorium Commune dubitaverim appellare.

In omnibus ſenſationibus acutis, aut doloribus acrioribus, apparet plane talis ſympathia; ejus influentia & vis late patent, & haud parvi ponderis ſunt. His ipſis videmus ut ratiocinandi facultas afficiatur; turbetur exempli gratia ſtomachus, totum corpus malum ſentit, nec ipſa mens illaeſa evadit; ebrietas delirii genus non raro parit, quod in Inſaniam tranſeat, ex ſympathia pariter hypochondriaſis & dispepſia nascuntur quae adeo infeſtae ſunt.

Quod ad ardorem attinet, qui cauſa Inſaniae remota poteſt eſſe, in regionibus praeſer-

fertim calidis, ubi folis radii quafi ictu mortem afferunt, de illo plura dicere animus non fert, in praemiffa enim hiftoria rem antea tractavi. Frigus immodicum, caufis remotis adnumerandum Hoffmannus (*a*) afferit, praefertim cum extrema Corporis ei temere exponuntur; hanc fane fententiam (licet non femper inconceffis eam argumentis fuftentaverit) non multum a veritate aberrare judico; nonne enim frigus, circulationi fanguinis nocet, & nervos fenfu privat? languidum frigore torpet Corpus, nec raro torpor in mortem convertitur.

Si ad omnia fingulatim difcutienda e quibus oriri poffit Infania memet intendiffem, ultra limites hujusmodi opufculo praefcribendos excurrerem; quo circa cum antea variae in medium prolatae fuerint caufae remotae, de proximis pauca dicere liceat.

CAUSA PROXIMA.

Pauca eaque hypothetica tantum, de veris Maniae caufis proximis feruntur, cuncta enim

(*a*) Vide Hoffomanni Med. Rat. Syft. Tom. 4. oper. Tom. 3. p. 254.

enim quæ ad rem illuſtrandam, ſedemque cauſae proximae inveſtigandum, tentata fuerunt, inter hypotheſes enumerari poſſunt.

Inter omnes Morbos quibus obnoxium eſt Corpus, nullus datur, qui illud tam diverſis modis torqueat ac Mania. Nam e mille abditis cauſis pendet, quae cum tam varias formas induat, ſuſpicari licet, cauſas ejus proximas varias eſſe, morbum Maniae nomine diſignamus licet natura ſua ſit ſaepe alius.

Quamvis ultra humanae mentis captum poſita ſit proxima hujus, ut plerorumque morborum cauſa, quamvis etiam multoties conjecturis parum certis contenti eſſe cogamur, hae tamen conjecturae ſi ex comprobatis modo factis deducantur nec parum utilitatis medico afferant, non omnino praetermittendae ſunt; earum autem utilitas elucefcit, dum eam removere cauſam ſtudimus, qua exiſtente, perdurante, mutante, vel ceſſante morbus eas mutationes ſubire tenetur (*a*).

Ubicunque ſint cauſae Maniae remotae, Authorum pars maxima fatetur proximas in Cerebro ſedem tenere, ad eam ſententiam confirmandam, contendunt, Cerebrum magis quam

(*a*) Gaubii Inſtitutiones patholog. medicin. p. 18. §. 18.

quam caeteras Corporis partes cum mente conjungi, ideoque omnes mentis affectiones Cerebrum peculiari quodam modo spectare, nihil autem fide dignum hac de re proferunt, licet enim humanae mentis actio quaeque quibusdam Cerebri motibus dirigatur; ut apprime notat D. Cullenus (*a*) sub sensibus nostris nunquam cecidere, nec unquam detegere potuimus dari unam Cerebri partem quae intellectui nostro magis altera praesideat. Haec igitur considerantem me atque perpendentem, impulit animus ut quaedam de eadem re, non tamen sine summa diffidentia proferrem, non minus fortasse hypothesim olent, factis tamen originem suam acceptam referre possunt.

Licet Auctores pro certo habeant Cerebrum communem esse nervorum fontem, atque ita in intellectus nostri operibus praecipuam occupare partem, multa tamen sunt quae ad eadem sententia adoptanda dissuadeant.

Omnium Temporum Medici & Philosophi praeclare, multas ob causas, de Cerebri dignitate senserunt, in dubio tamen est an quivis eorum id in quo potissimum Cerebri constat

(*a*) Vide Practice of Physic Tom. 4. p. 122.

ſtat dignitas invenerit. Ejus inſpiciamus Anatomiam, ut ait D. Simpſon (*a*), quamvis eam tanta diligentia & patientia inveſtigaverint Williſius & Malpigius, quid in ea magis quam in aliis partibus glandularibus invenimus? In Cerebro invenias vaſa ſanguifera fibrasque varias, at easdem res in ſplene & jecore reperias, membranis ſervatur & in varias partitur partes ſunt & ſimilia in Teſticulis; datur in variis ejus partibus, varietas quaedam, at varietas item in omni viſcere reperitur. Quod ſi, ut vult iſta tam late celebrata ſententia, tanti fuiſſet momenti Cerebrum, ſi tum ſenſationis ſedes, tum Nervorum fons atque origo fuiſſet, ſequitur neceſſario eo laeſo aut partim ſublato, multum detrimenti oriri, rem autem longe aliter ſeſe habere novimus; nolumus ſane cum D. Simpſon (*b*) contendere nullum ex viſceribus eſſe quod ſaepius impune mutiletur vel omnino deleatur Cerebro, judicamus autem Cerebrum carere ſenſu, nec nos latet presſum, dilaceratum, avulſumque fuiſſe dum nullum grave malum ſequebatur.

D.

(*a*) Vide Simpſon's Enquiry p. 213.

(*b*) Vide ut ſupra p. 225.

D. Eryanus Robinſonus (*a*) ut certum quid oſtendit, vulneraſſe ſemetipſum Cerebrum Canis, ejusque membranas, nec tamen convulſivos motus ſecutos fuiſſe, & idem colligere licet ex his verbis D. Faber (*b*): „ *L'Anatomie & l'exercice de notre art nous apprennent que les ſubſtances corticales & medullaires du cerveau ſont inſenſibles & incapables, par elles-mêmes d'aucun mouvement.* ". Idem Author ſententiam nobis tradit, pulchram ſane & veroſimilem, quam libenter in alio loco amplecterer; ait enim: „ *Des Expeciences faites ſur des animaux vivans nous ont montré qu'à chaque expiration le ſang veineux reflue par les jugulaires & par les vertebrales juſques dans les ſinus de la Dure-mère & dans les veines du cerveau, au point de communiquer à ce viſcère un mouvement d'élévation & d'abaiſſement qui repond à celui de la reſpiration; méchanisme qui s'etend, par la même cauſe, juſqu'à la moëlle épiniére. Telle eſt donc l'Impulſion toujours agiſſante qui détermine le fluide nerveux à pénétrer dans les nerfs; or,* com-

(*a*) Vide Obſervations on the animal aeconomy.
(*b*) Vide Fab, Eſſai ſur les facultés de l'Ame p. 30.

comme ce fluide continuellement poussé dans la même direction ne retourne jamais vers sa source, les nerfs en sont toujours pleins, & sont, par cette raison, dans un état de tension qui dépend de leur plénitude; & non de l'éloignement réciproque de leurs extremités comme les cordes tendues; c'est donc cet état de tension qui fait que le systême sensible forme un tout dont les parties ont une connexion si serrée, une correspondance si intime, qu'un nerf ne peut être un peu vivement ébranlé sans qui cet ébranlement ne se communique dans un instant indivisible, non dans le cerveau où l'on a placé mal-àpropos le sensorium commune, *mais dans le Centre du Corps où riside le principal siège du sentiment qui nous est commun avec les bêtes* ".

Dicit Wepferus (*a*) partem Cerebri destrui posse salva mentis in musculos remanente poteste. Haud aliter invenimus multa a Lancisio & Peyrone prolata exempla, quibus demonstratur omnes Cerebri partes fuisse extractas, illaesis sensibus, illaeso musculorum motu.

(*a*) Vide Historiam Apoplec. 14. Schol. 12. p.

tu. Narrat quoque perilluſtris D. Boyle (*a*), Muscas utriusque ſexus quae bombyces generant, abſciſſis Capitibus, inter ſe tamen coiiſſe. Videmus multa animalia, ea praeſertim quibus frigidior eſt ſanguis, amiſſis Capitibus multos tamen dies vivere; teſtudo terreſtris ejus rei exemplum ſuppeditat; invenimus item animalcula quaedem quibus exciſo capite alterius generandi poteſtas datur (*b*) In actis philoſophicis (*c*) memoratur factum quoddam a re noſtra haud alienum, columba enim dicitur avulſo Cerebro, immiſſoque in ejus locum lino, tum Cibos quaeſiiſſe, tum caeteris vitae muneribus functa fuiſſe. D. Simpſon (*d*) ait compertum ſe multis experimentis habere diu vixiſſe canes, quorum nonnullis cerebrum, nonnullis cerebellum deerat. Eſt exemplo, ſingulari D. Kay (*e*) (ut in actis philoſophicis legimus) quousque cerebro tuto carere poſſimus. Ulcus cancroſum in ipſius

(*a*) Vide firſt excercitation of the 2. part of his treatiſe on the uſefulneſs of natural philoſophy.

(*b*) Vide Spalanzani.

(*c*) Vide N°. 226. p. 439.

(*d*) Vide Enquiry.

(*e*) Vide N°. 277. Actorum Philoſophicorum p. 169.

ſius gena erupit, oculorum alterum mox exedit perque os frontale, duramque matrem penetravit, neque prius deſivit quam totum delevit Cerebrum, ita ut mortui aperto capite, nihil in eo praeter liquoris putridi paucas guttas inveniretur; nullum tamen ſenſum perdiderat ante obitum, ad libitum membra movebat, neque ſpasmodico neque convulſivo ullo motu correptus fuerat. Inter exempla ejudem generis ea referre liceat, quae de animalibus dicuntur, quorum Cerebra (*a*) oſſificata inventa fuerunt, haec tamen animalia, nulta dederunt ſigna morbi in ſenſibus exſtentis. Quandoquidem ex his diſcimus, non ſolum vulnerari, partimque removeri poſſe Cerebrum, omnino quoque deſiderari, ſalva animali poteſtate, & integro nervorum imperio, quodnam ab eo adimpleri munus dicemus? Quoniam variae quae de hac re prolatae fuerunt ſententiae, non certae ſed conjecturales ſunt, nihil auſim equidem praeter con-

(*a*) Boves exempla dant plurima hujus rei, unum in Boneto reperias, vide Med. Sept. Sect. 4. Cap. 4. Alterum Lutetiae habitum fuit, vide memoires de L'academie 1703, tertiumque dant acta philoſophica N°. 277. p. 169.

conjecturas proferre; antiqua igitur sententia mihi optima quam sequamus videtur, quoniam neque Ætheris, ut volunt Newtonus & Bryanus Robinsonus neque vibrationis admittenda est idea; conglobatam potius ego quandam glandem, cerebrum dixerim, quae vel a sanguine aliquid segreget, vel sanguinem ipsum, in liquorem commutet tenuem, & subtilem qui nervosus appellatur; liquor ille, nervis vehentibus, in omnes transit corporis partes; & licet objiciatur neque liquorem istum, neque nervorum aptitudinem, ad eum transmittendum sensus nostros percipere, responderem tamen vasa Capitis circulatoria peculiari quodam modo formari, sanguinemque in eo duitius commorari propter expirationem ut diximus, ex quibus suspicari liceat quandam ibi commutationem subire sanguinem; et quidem notitia nostra eorum quae fiunt, cum sensatio, cuivis parti intercluditur sive premendo sive dividendo nervos demonstrat prope antedictam liquoris nervosi distributionem fieri, & quoniam in re tam obscura nihil verosimile magis apparet, anteprolatam ego sententiam, ut ratione maxime congruam sequi inducebar.

Haud difficile esset causas affectae mentis proferre, dum Cerebrum afficitur & ille vigor

qui per totum corpus vigente Cerebro diffunditur, facile explicare poteſt. Oritur enim ex conformatione Cranii, ex exquiſita membranarum internarum ſenſibilitate, ex diſtributione vaſorum in Cerebro quae ſanguinem deferunt, & ex eo quod omnia in rigido ſimul concludantur Cranio, cujus forma facit ut nunquam cedat, unde fit ut circulationis vel minimus defectus ea in parte ſentiatur. Compreſſio igitur perlevis ut notat D. Simpſon (*a*), ſi juxta majore Vaſa ſanſuifera fiat, ſive tum cum cerebro adfertur ſanguis, ſive cum inde defertur magnum neceſiario excitabit tumultum, nam ſi aditus intranti ſanguini intercludatur, oportet ut vicinis partibus, non intermiſſa a tergo pulſatione cordis, magnum fiat detrimentum, dum ſuo jure cerebrum ipſum fraudabitur; quod ſi impediatur ſanguinis refluxus, comprimetur ſimul Cerebrum, motusque ejus & varia turbabuntur munera, vel omnino tollentur. Sed non facile eſt aſpectu primo enucleare, vel demonſtrare rationes quibus nervi in aliis corporis partibus conturbentur, quamvis enim requiratur ordo quidam non interruptus in Circula-

(*a*) Vide Enquiry. p. 217.

latione & bene ſe gerat Corpus, & quamvis jure arbitremur nonnihil ex ſanguifera conſtitutione ad nervoſam tranſire, tamen in quo conſiſtat id nunquam, ſenſu perſpeximus. Sic Indicia habemus certa quam ſit neceſſaria circulationis regularitas quod varia teſtantur exempla.

Sic D. Simpſon (*a*) dicit, animam ex homine evolare cum aquam hydropicam emittit, quoties baltei quo circumdatur ligamina laxantur; quod de ponderis amotu pendere conſtat, & ex ejusdem in circulationem effectibus, & hinc minime mirari debemus, veteres animalis vitam in ſanguine ſitam poſuiſſe.

Facile concipimus Cerebri jacturam fieri ſine ullo fatali exitu, modo gradatim fiat, cum ex anatomes ſtudio invenimus naturam ſapienter proviſiſſe omni hujuſce generis detrimento, numeroſa inſtituendo nervoſa Corpuſcula, gangliones dicta, quae tot habita ſunt parva Cerebra, providit item crebra nervoſarum fibrarum junctura. Praeterea dantur exempla quae clare oſtendunt quasdam corporis partes vim ſuam amiſiſſe, propriis abſciſſis nervis eamque reparatam habuiſſe late-

(*a*) Vide Enquiry.

teralium ramorum ope ſic, ſi nervum recurrentem octavi paris in Cane amputaveris, mutum fit ſubito animal, ſed paucis interjectis diebus vocem recuperat; haud aliter ac evenire ſolet in operatione aneurismatis; nulla ſentitur pulſatio infra partem operationi ſubditam per aliquot dies, donec novum circulationis iter inſtitutum fuerit, quod cito aperitur, feliciter operatione peracta. Sed omnibus perpenſis, vidimus cerebro illatas injurias, gradarias eſſe debere, improviſae enim fere ſemper mortales ſunt.

Haud ab re alienum fuerit, ſi obſervaverim, quamvis difficile ſit enunciare quanam in re Sympathia conſiſtat, tamen eſſe talem ſpecialem influentiam, talem concordiam inter diverſas partes quae Sympathia dicitur, hujus varia in promptu ſunt exempla, ejus poteſtas nullis conſtringitur limitibus, modo ſub ſenſus cadit, quando ſympathia communis inter unamquamque ſenſibilem & irritabilem humani corporis partem locum obtinet, modo ſenſus quamvis effugiat exiſtit tamen, & maximi momenti eſt. Sympathiam illam exiſtere propter irritabilitatem nobis perſuaſum haeret, & eam irritabitatem nervis produci conſtat ex frequentibus & crudelibus Phiſiologiſtarum experimentis in viva animalia

fa-

factis, & quae facta sunt imprimis ab Hallero ſympathiamque illam praeternaturali quodammodo affectam eſſe in omnibus fere Maniae Caſibus multis mature perpenſis probabile fit. Hanc ſympathiam nihil melius probat accidentem ex nervorum conjuctione, quam quod Naſus Occulusque exhibet, cum applicato ſtimulo inſueto alteri, lacrymas alter ſuffundit ſtatim, quod oritur ex paris quinti nervorum cum primo conjunctione, par autem primum in naſum tranſit. Sic etiam rationem reddere poſſumus ingrati ſenſus quem in dentibus ſentimus, ſtrepitu acutiori audito oritur enim ex conjuctione paris ſeptimi nervorum, quod partim pertranſit aurem, cum nervis dentium. Singuli Authores fatentur Sympathiam hanc cujus oſtendere melius exiſtentiam poſſumus quam ſpecificam naturam definire, nusquam inſignem magis eſſe, magisve extenſam, quam inter partes quas continet abdominis Cavitas. Hae autem partes, quo magis medio corporis appropinquant, eo frequentius, latiusque ſymphatiae influentiam ſentiunt, ut ſtomacho & Diaphragmati contingere intelligimus, & ex ea harum partium ſymphatia, defectum vel innaturalem affectum, officiis intellectualibus multum nocere obſervamus.

Haec conſide anti evidens videbitur, mentem, vel mentis facultates pendere ex ſtatu & conditione nervoſae vis & influentiæ, cumque videmur tam mirabiliter ſenſibilia mutuo eſſe abdominis viſcera, & propriam praecipue habere Sympathiam, non mirum eſt multos auctores, tum veteres tum recentiores poſuiſſe ſenſus ſedem, vel ſenſorium Commune prope medium Corporis. Sic invenimus Helmontium id ſitum credidiſſe in magno Stomachi arcu, Buffonem vero, in diaphragmate, nos vero induceret anatomes ſcientia, ad credendum non eos in opinionibus multum aberraſſe, & cum ſupra vidimus cerebrum non abſolute neceſſarium eſſe, & ſenſum, motumque ſine Cerebro poſſe conſiſtere; ſic videmus juxta obſervationes Morgagnii & Vallisnerii in infantibus pluribus ſine Cerebro natis quos perſpexere, nervos eſſe ut in aliis, conſtat tamen alias quasdam partes iis requiſita ſuppeditaſſe, utque anatomia inteligimus nervos habere in omnibus locis vaſa plurima ſibi accedentia dum per corpus tranſeunt, ita ut hinc & illinc augeantur magis quam attenuentur quo longius a Cerebro recedant, colligere licet nervos ſuppleri poſſe ejusmodi communicatione, idque eo certius quanto ſaepius intermittantur illa quae Cerebrum praebere ſolet. Ef-

Efficiunt tum prolatae rationes, tum complures aliae quas proferre possem ut non illibenter ingenui *D. Fabri* (*a*) amplectar sententiam, quae sensationis sedem, *Sensorium commune*, vel centrum sympathiae in medio Corporis posuit, sub Diaphragmate, pone stomachum; ibi nervi qui sympathetici majores dicuntur, & unio diversorum plexuum, ex quibus *Plexus Solaris* formatur efficiunt ut omnes inter Corporis partes fiat communicatio, neque hoc sine admiratione cernimus, duos nempe sympatheticos nervos, qui tantam in humano Corpore partem occupant, nullam fixam, certamve originem habere. Hi enim vulgo nascuntur ex *Ganglione* magno infra lobum auriculae, nec cum cerebro connectuntur nisi ramis quibusdam quinti sextique paris nervorum. Sed neque haec ego, neque plexum solarem prolixe & anatomice describere hoc in loco mihi statui, cum ista jam plane cognosci reor, cumque id proposito meo satisfaciat si observaverim ante dictos nervos qui tantum ad plexum illum formandum conducunt, vel mediate vel immediate cum nervis totius corporis conjungi. In hac par-

(*a*) Vide Essai sur les Facultés de l'Ame. p. 34.

parte centrum illud invenimus quod in Capite deprehendebat phifiologorum pars maxima, huic omnes nervorum ramuli ut radii ad Centrum circuli feruntur. Ejus igitur ope omnes Corporis fenfationes fentit anima, motus fuos volitionis viribus dirigit, atque fenfus fuos fenfatione adjuvante percipit, nec non ut ingenuus D. Vrignauld (*a*) obfervat, araneo fimilis in mediis cubanti retibus, quodcunque in extremis partibus agitur cognofcit.

In eadem parte dolor fentitur & guadium ut notat Dominus Buffonius hic etiam fentimus impulfus acres & fubitos. Multas ingenue excogitatas ad hoc probandum rationes attulit D. Faber, quibus D. Joannis Hunteri fententiam adjiciam. Hic affirmat plagam circa fcrobiculum Cordis illatam, certius interficere quam fi in Caput illata fuiffet, & ob-

fer-

(*a*) Vide Nouvelles Recherches fur l'Economie Animale de D. Vrignauld. Gaudio valde me hic arripere poffe occafionem agendi grates meas, ingeniofo huic Auctori atque indefeffo Anatomico, cui, ob plurimas easque utiliffimas inftructiones confiliaque quam diu, eo ducente, Cadavera diffecuerim, in Nofocomio Charitatis Parifienfi, multum debeo.

fervat mortuos collapsos fuisse eos quorum media Corpora plumbum e Tormentis bellicis emissum prope attingebat, dum prope Caput transiens haud multum mali sequeretur. In medio Corporis dulces sentiuntur impulsus quos dat melos dulcisonum concentus exquisita voluptate delectat, ex hoc fonte oritur vibratio quaedam ineffabilis qua fortiter, & diverse humanum Corpus afficitur, inde fit ut quidam flere, dormire alii velint &c. Sed de hoc plura cum de remedio.

Rem satis mirabilem nec a re nostra alienam de se ipso narrat Helmontius, (*a*) qui cum *napellum* gustasset, putavit non in Cerebro sed in Stomacho esse intellectus rationisque sedem, cum ea de re cogitasset, veritusque fuisset ne ejusmodi cogitationes mania quaedam sequeretur, ipse raciocinatus est, & quamvis pro certo haberet sensationem & motum in omnes corporis partes diffundi, dicit tamen alicubi prope stomachum positam esse mentem.

Plus vel minus ut res sese habeant valere & sentire nervosum systema cognoscimus neque

(*a*) Vide Helmontii Demens Idea Oper. 12. p. 171.

que ignoramus ex ſyſtemate illo pendere ut plurimum mentis officia. Sic vidimus ſi quando in priori incrementum ſeu diminutio evenerit aliqua, mentem quoque ſimiliter affici, idque nonnunquam ita ut varia enaſcantur Veſaniae genera. Obſervat citatus Author omnes inter ſenſus eum quo vidimus maxime cum anima videri conjunctum, illud colligere datur ex variis oculorum formis, nunc gaudio ſplendentes rident, nunc maerore obducti languent, & quidem oculus ſaepe prodit aegrotantis ſtatum multo melius ipſius ſermone. Notat praeterea D. Faber duo eſſe viſus genera, unum externum, internum alterum, primum ſatis luculenter intelligimus, & alterum cognoſcimus ſi modo de re aliqua prius perſpecta cogitemus, nihil enim vetat abſentem quaſi praeſentem amicum mihimetipſi depingere. Ejusdem facultatis ope ideam veram de rebus antea perſpectis formemus, & ſic inter legendum mens rebus rite comparatis recte judicabit. Haec interna viſio parum abſimilis mihi videtur eſſe, operationi qua mens ſuas, ut loquuntur *Metaphyſici* cogitationes reflectit, tamen me judice, ſapienter fuit illud a Numine Supremo proviſum, ut poſſemus res animo exhibere abſentes, & quaecunque fuerunt antea cognita, mentis

aci-

aciei subjicere, haec est interna visio quae male ordinata perturbataque videtur cum intellectus suis perfungens vicibus aliquo modo laborat, & anima suos ipsa motus dirigere videtur, qui ab externo organo non suppeditantur, ex quo ut arbitramur efflorescit memoria. Sic nonnullos videre est quibus cum nervis laboraverint memoria penitus excidit, sed abeunte morbo illa redit, sic nonnullos Melancholia vexatos cognovimus qui maxima experti sunt tormenta & cruciatus maximos in praecordiis & stomacho cum vires suas eo intenderent ut praeteritum aliquid in animum revocarent, & haec quidem adeo intensa fuere ut in quibusdam Syncopen produxerint.

Communiter omnes credunt sensus per somnum consopiri & conquiescere, sed hoc non semper accidit, etenim experientia constat hunc internum oculum etiam per quietem, suum exercere imperium somnia gignendo. Istud contigit cum aliquid fuerit per diem in animum altius impressum & multoties cogitatione revolutum, & certe, mea sententia, aliquo labore somnia possunt ad suas origines repeti, aut attribui queunt, nervorum malesanae conditioni, & huic quidem aliquid simile in sensibus fere omnibus locum obtinet, hi scilicet cum eidem diutius Impressione

ne fuerint obnoxii, ab ea ſeſe ſubito nequeunt ſubtrahere. Sic cum aliquid fuerit oculis, auribus & etiam tactui impreſſum, ipſius Idea cui tamdiu ſubjectus fuit ſenſus internus in animo haerebit infixa, & perpetuo recurret quamvis exulet objectum quod ejus extiterit occaſio. Simili modo quando ſplendidius affulſerit nobis lumen, uſitato perſtringimur ſole, & prope caecutimus, & ſemel tantummodo dulci quodam audito concentu qui animum titillat & ſuavi perfundit voluptate idem in noſtris inſonat auribus, ſequax ſemper & indivulſus etſi illum a nobis divellere & abjicere conemur. In *Incubo* ut a Domino Fabre fuit obſervatum quamvis diſcrepantes ſint multorum auctorum opiniones in hoc explicando, attamen evidens eſt illud fieri cum ſenſationis centrum pondere naturae minime conſentaneo opprimitur, ſiquidem nunquam evenit niſi quando in ſtratis aliquis pleno ſtomacho quieſcit, quando ſupinus ſtertit, in ſtatu rerum quo preſſio plexus ſolaris horrendas Ideas quae *Incubum* comitantur parit. Igitur arctiſſima intereſt connexio mentem inter & plexum ſolarem ut patet ex ſaevis Ideis quae in *Incubo* eam afficiunt.

Itaque cum ex dictis liquet plexum ſolarem

aut

aut injucunde aut dolenter affectum talia producere posse, tamque portentosas & cum natura pugnantes Ideas efficere, quae credi possunt haud multum a Maniacis affectionibus dissimiles, & in quibus evidentissima apparent specimina perturbationis qua internus vexatur oculus, nimirum falsa percipit & vanas species quae absunt sibi depingit ut praesentes, cum, inquam, ita se res habet, non sine aliqua similitudine veri suspicari possumus, aliquam affectionem morbidam systematis nervosi (sit causa remota vel mentalis vel corporea) efficere ut interna animi acies simili modo affecta, fiat causa proxima Maniae, praesertim si in animum revocemus ea quae antea dicta fuerunt in priori parte causae proximae circa sympathiam in his partibus dominantem, in qua statuimus plexum solarem esse quoddam ut ita dicam sympathiae centrum, cujus quidem sententiae veritatem ex multis a nobis observatis comprobavimus. Annotandnm est quocumque modo plexum solarem affici credamus ita ut tales producat motus & effectus qui generant illas Ideas & sensationes in Insania deprehensas summo jure existimare licere systema sanguiferum saepe premario affici & multum conferre ad moibum

G ali-

aliquo modo creandum cum multum poſſit in ſyſtema nervoſum.

Aliquis forſitan praeſtolatur ut varias Hypotheſes a variis authoribus conflatas & eorumdem opiniones circa hanc rem enumeremus, ſed de induſtria hoc evitavi cum tam fuſe evolutum ſit quod tractare placuit.

P R O G N O S I S.

Quod autem attinet ad Maniam, certum eſt hanc eſſe diverſam pro objectis quae aggreditur, pro temporis diuturnitate qua graſſata eſt, pro cauſis quoque remotis. Cum in illos deſaevit in quibus praevia eſt ad eam diſpoſitio propter labem aliquam a parentibus acceptam, aut propter habitum corporis exquiſite conſtructi, tunc vix ulla medela illi afferri poteſt At cum cauſae remotae eae ſint quae modo corporae fuerunt a nobis nuncupatae, cum ſint ſecundariae vel ſymptomaticae ſpes praebent ampliores quam ſi eſſent mentales. Non poſſumus ſine errandi formidine augurari de Mania ex ſymptomatibus ut ſolemus in omnibus plerumque morbis, nam ſymptomata parum certa ſunt, enimvero in omnibus fere a Mania vexatis quaedam deprehendimus intervalla in quibus ratione utuntur

&

& tunc pulcherrima nobis elucescit ſpes, ſed haec tantum ad tempus manet. Obſervandum eſt Maniam perniciem & mortem uno veluti ictu non ſubito ſuum afferre, niſi aegrotus proprias ſui ipſius vitae manus injiciat.

METHODUS MEDENDI.

Quandoquidem non penitus perſpectas habemus cauſas Maniae proximas, nec ideo quaenam ſint adhibenda Remedia, certo cognoscimus, nam quo magis cognitae ſint morbi alicujus cauſae proximae, eo certius quonam modo ſit curandus noscimus. Id igitur mihi nunc tantum ſuſcipiendum eſt, ut optimis e ſcriptoribus approbatiſſimas quasque decerpam medelas eisque adjungam quaecunque memetipſum edocuit experientia. Cuilibet maniam medere volenti, id imprimis curae eſſe debet, ut remotas cauſas conſideret, ſive illae ſint primi ordinis viz mentales &c. ſive ſecundi, quas corporeas, nuncupavimus, ſi enim ſint hujus generis, atque mechanicé in peculiari aliqua ſyſtematis nervoſi parte agunt & ita Maniam invehunt, & ſenſibus patescunt, his ſublatis deficit morbus; *cauſa amota enim tollitur effectus.*

Cum remotas cauſas in mentales & corpo-

reas ſum partitus non abs re forſitan erit eundem adhibere remediorum ordinem, dum enim in corpore tractando deſudamus, magna quoque mentis habenda eſt ratio. Nam cum in Mania id plerumque accidat, ut mens uni eidemque rei conſtanter & defixa inhaereat, falſo de rebus ratiocinans, notionesque abſonas & ſecum pugnantes conjungens, externa quaeque prave percipiens quamvis oculos in ipſos nihil detrimenti cadat; cumque mirum in modum interrumpantur vel deſtruantur operatrices memoriae facultates, quibus veluti fundamine ſuo inniti judicium arbitramur nihil intentatum eſt relinquendum ut mens a conſueto tramite avocetur, quod quidem tum maximi eſt momenti, tum etiam ſaepe in curatione maximum adjumentum confert. Et cum ſaepius ex corporis deſidia multa in ipſum deriventur mala, ita quoque & ex mentis inertia profluere poteſt Mania.

Illa primum proſequar remedia quae dicam mentalia, & quae in curanda Mania maximi eſſe ponderis exiſtimo, ad id igitur efficiendum quod ſupra dictum eſt, nempe ut aegrotantis mens a ſolita deliramentorum ſerie avertetur ea alium in tramitem cogenda eſt, quod quidem ita ſaepius fieri poteſt ſi

ad

ad ludum quemdam aut oblectamentum alliciatur aegrotans; vel in negotio quolibet quamtumvis levi & inutili implicetur. Vidi ipse Curationem prospere successisse, praebita laboranti occupatione continua & etiam adjuncto opere. Narrat in Lectionibus D. Gregorius fuisse in Scotia hominem qui cum ad recipiendos Insanos domum aedificari vellet, corporis simul & mentis laborem in ipsorum curationem adhiberi jussit, quae quidem fauste contigisse dicit. Haud facile forsitan dignósci potest, quaenam inter remediorum genera annumeranda sit ea coactio quae in curanda Mania non solum necesſaria verum etiam perutilis reperitur, nam quamvis in Corpus exerceatur, mentem ipsam brevi afficit, cum enim usu compertum sit cupiditates fraeno omni amoto, effusas praecipitesque omnino rapi, nec raro causas esse remotas Maniae, sic & impetus illi insanorum rabidi, nisi coerceantur, & aliis paericulum, & ipsis laborantibus pessima quaeque afferunt, & cum hanc coactionem quasi pro poena identidem usurpare liceat, tunc efficientia ejus in mentem cadat necesse est, itaque ea coactio lenitur omnino molliterque adhibenda, ideoque *angusta vestis* ab omnibus laudatur.

Inter ea quae nuncupantur Remedia mentalia, Musicam annumerare, non imprudentis esse spero, hujus pro variis hominibus varii sunt effectus, quod quidem in aliis ex aurium figura, in aliis ex nervis ipsis oriri recta est conjectura, nemo tamen est qui divinam hujus vim non plus minusve sentiat, & quidem singularis est omnino ejus effectus, primo enim in Plexum solarem, sensus ut ita dicam partem praecipuam agit. Apud Veteres, multis in morbis, plurimi habebatur Musica, & inter recentiores *Scaliger* (*a*) de ea honorifice loquitur, eam vocat *Sensuum Reginam*, & „addit sine ore loquens, dominatum in animam exercet, quod spiritus qui in Corde agitant tremulum & subsaltantem recipiunt aërem in pectus & inde excitatur a spiritu, musculi moventur &c.". Hic igitur auctor ut videmus quaenam esset Musicae in sensus vis notavit, eos certe infanda quadam & vix explicanda voluptate perfundit, mentem penitus rapere videtur, & ex hoc dulci suavissimarum vocum concentu tota hominis compages singulari & multiplici modo afficitur, praecipueque diversae abdominis partes ejus vim

(*a*) Vide Exercitat. 302.

vim primae experiri videntur, audita Mufica alii deficiunt, molliter recumbunt alii, & fopori quafi indulgent, alii in uberiores revolvuntur lacrymas, dum fuaviffime delectantur (*a*). Operae pretium eft obfervare, eos, quorum animos gratiffimo fenfu perfundit concordia, fimili omnino ratione molefte affici, delata ad aures difcordia.

Veteres, ut fupra obfervatum eft, quid & quantum poffet Mufica, apprime intellexerunt, ejusque virtutem in Mania, Melancholia, caeterisque ejusmodi morbis, laudibus effufioribus commendavere. Sic Jachinum (*b*) haec de illa praedicantem deprehendimus ". Mufica admiranda profecto res eft & digna expenfione, quod fonorum concinnitas mentem emolliat fiftatque procellofas ipfius affectiones &c. additque eleganter ille ,, Mufica eft mentis medicina maeftae. (*c*). Lemniusque de eadem re differens;" languens animus, ait, inde erigitur & revivifcit nec tam au-

(*a*) J. J. Rouffeau in Dictionario fuo mufico, de Puero narrat., qui involuntarium toties Urinae profluvium patiebatur, quoties Lyripipii fonum audiebat.

(*b*) Vide Caput de Mania.

(*c*) Vide Lem. Inftitut. Cap. 44.

aures afficit ſed & ſonitu per arterias undique diffiuſo, ſpiritus tum vitales tum animales excitat, mentem reddens agilem. Muſicae quidem ſaluberrimos effectus in tenerrima etiam aetate, conſtat enim pueris, ante etiam quam loqui incæperint, eſſe gratiſſimam, ſic flentes illos audita Muſica placet & mitigat, nec aliam certe ob cauſam tantum apud eos valent cantilenæ incultæ, quas nutrices auribus immurmurant. Nec in hominum tantummodo genus imperium eſt Muſicae, quod quidem, non probatis iis qui hac de re fabula commentitur, ad inferiores usque animantium ordines pertinere probatur opertiſſime. Sic aves Muſico modulante inſtrumento delectantur multaeque imitari, & feliciſſime quidem, conantur. Canes tonante procella fruuntur, apesque etiam dum fugiunt, ipſius contra illecebras obluctari nequeunt, ſed ſaepe volatum ſiſtunt, & hoc quidem per totum brutorum animalium genus obtinere, vulgaris fides fuit. Hinc ſperari poteſt Muſicae in Maniacos optimos fore effectus, a mente nempe avertit ſeriem illam perpetuam idearum in quibus plerumque demerſi occupantur, jucundos excitat motus propter virtutem ſuam in ſyſtema nervoſum, gratum procreat hujusce ſyſtematis ſtatum, qui ſtante optimo Corporis habitu,

tu, obtinet, & in quo laeſo & turbato poſſitam eſſe Maniam invenimus.

Mihimetipſi contigit videre Muſicae effectus in Maniacum, cum eſſet jam ad violentiſſimum deliramenti paroxyſmus provectus. Auditis mollibus ſonis ex *lituo* elicitis ſtatim pacatus eſt, & omnia voluptatis & oblectamenti prae ſe tulit indicia. Oculi qui paulo antea ardentes emittere radios, & adſtanti cuilibet praeſentem minitari perniciem videbantur, molliores facti ſunt & ſignificantiores. Saepe adhibitum idem experimentum eadem prorſus ſecuta ſunt. Vidi alium quoque diverſo omnino morbo melancholici nempe generis, laborantem, qui per multos menſes ne unum quidem verbum ediderat, & in quem nihil ultra affectus cadere poſſe videbatur, qui tamen dum valeret, fidibus canendi fuerat peritiſſimus. Ille autem ſonare audiens hoc inſtrumentum, primo attentas praebere aures viſus eſt, & vultum oſtendere multo ſignificantiorem quam antea, deinde vere ſcite in numeros pulſabat, digitos, quaſi luderet ipſe movebat, audita vero diſcordia, injucundo perfuſus eſt ſenſu, corpus & os diſtortit, & alia multa exterius protulit indicia, quae aegrum intus animum oſtenderent. Ex his omnibus ſuſpicari licet

 Mu-

Musicam in Mania & Melancholia feliciter adhiberi posse. (*a*)

Jam venio ad secundam Remediorum divisionem quae Corporea nuncupavi, prius autem nonnulla in antecessum animadvertam quæ in tractandis Maniacis maximi momenti esse reor. D. Cullenus (*b*) admonet illos in situ horizontali nunquam esse collocandos, inclinato esse Capite multo minus, & quamvis illos erectos semper servare operosum sit, tendandum tamen est. Dum sic erecti sedent, dumque necesse est ut *angusta tunica* coerceantur, semper nobis eligendus est locus aegroto haud familiaris, in quo pauca se vel audienda vel videnda objiciunt, quibus praesertim assuefactus est Maniacus, quandoquidem ab his semper excitatur series solita Idearum, & falsae earumdem compositiones. Utque ad hunc finem melius perveniatur lucem excludere plurimum proderit, & quamvis aegrotantem semper obsessum tenebris tenere crudelius esse videri posset tamen profuturum hoc

(*a*) Remedium aliud quod inter Mentalia locum proprie suum obtinere potest, Metum nempe, memorare possumus, qui, si, qua ratione adhibendus esset, inveniretur, multum in sedando valeret. Hoc autem perdifficile est, & multum judicii & prudentiae postularet.

(*b*) Vide Practice of Physic. Tom. 4. P. 151.

hoc non mediocriter certe ſcio, praeſertim cum hujus rei in ſedando vis non ſit exigua.

In Maniacis curandis nihil magis attentos nos poſtulat quam victus: victus enim ope mutato ſyſtemate ſaepe haud parum habemus auxilii ad morbum depellendum. Annotandum tamen ea quibus vesci ſolebat aegrotus, dum valeret, non ſtatim ipſi omnino eſſe deneganda, hanc enim repentinam mutationem pauci etiam valentes ferre queunt. Pleroſque improbarem qui pertinacius Methodo *antiphlogiſtico* adhaerent, quam nec ſinat ars medica nec humanitas. Quamvis enim victus bene ordinatus plurimum operari poſſet, tamen qualis & quantus eſſe debeat, prudenter eſt perpendendum, & quodcumque boni ex hoc fonte derivari poteſt, conſequemur ſi vitaverimus ea omnia quae ſyſtema vel irritare vel plenius efficere poſſunt. Ad hunc igitur finem victus eſt eligendus, qui ſit mediocriter valens, nec tamen ſtimulantior. Jam de aliis viis ſermo erit, quibus imminui poſſit ſyſtematis plenitudo, & de illis remediis quae prae caeteris maximae atque cognitae utilitatis in Maniacis tractandis, quia adauctas produxerunt egeſtiones. Inter praecipua illorum *phlebotomiam* reponere licet, quae cum adhibetur, nondum adulto morbo, ut obſervat D. Cullenus,

nus, *(a)* in recentibus & violentis Casibus, multum prodesse potest. Mihi tamen videor vidisse saepius hanc longius provectam & systemate supra modum evacuato aegrotus in *hydropem* incidit insanabilem &c. Sanguinis exhauriendi varie propositae sunt viae, qualis sunt *Arteriotomia*, *Venaesectio* & *applicatis cucurbitulis*. Prior in arteria temporali, altera in vena jugulari, tertia in occipite commodo instituitur. Sed in has omnes non leve cadet incommodi, praesertim in primam, & nisi vel citatus & plenus pulsus, vel aliqua indicia sanguinis ad majorem impetum progressi in Capitis vasis, nos inducunt ad nonnullam ex his tribus operationibus adhibendam mihi videtur omnes, posse nos assequi utilitates, brachium, ut mos est, incidendo. In hoc peragendo, ut observat Auctor supra memoratus, erectum tenere Maniacum debemus & tantum educere sanguinis, quantum deliquium Animi possit inducere, quod fere semper certo est indicio plenitudinem systematis esse imminutam. Dictu difficile crediderem qua ratione Vomitus bonos suos effectus consequantur. Interdum tamen multum

(*a*) Vide Practice of Physic. Tom. 4. P. 156.

tum prodesse possunt evacuando, & remedia sunt procul dubio potentissima. Cum vero sciamus quanta plenitudo obtineat in Vasis cerebri inter respirandum, quamque modum excedant exertiones & expirationes dum aliquis violenter vomit, est a priori cur ab his remediis adhibendis in multis Maniae casibus abstineamus, cum certa sunt indicia vasa turgere cerebri. Experientia tamen quotidiana & testante ingenioso D. Briano Robinsono (*a*), constat hac ex parte nihil nobis esse timendum, ipse enim adhibuit hoc remedium in Apoplexia, Pleuritide &c. unde quoad effectus Vomitus in systema sanguiferum observat, motum ipsius minuere quamdiu operatur, & pulsum plane deprimere, quin & fere sistere omnino quamdiu durat vomitus, cum tamen omnia jam peracta sunt, crevisse Circuitum sanguinis nonnunquam observatur. Culleno videtur *Emetica* suos bonos assequi affectus, quod fortiter ad superficiem cutis determinant. Cum vero in totum systema tantum sit Stomachi dominium, cumque in illud omnes diffundantur hujusce af-

(*a*) Vide Observations on the Virtues & Operations of Medicines.

affectiones, propter ipsius cum loco medio Sensationis & *Sympathiae* necessitudinem, non vetat ratio quin auguremur ideo prodesse *emetica* quod hic systema nervosum aliquo modo afficiatur. Fert animus ut approbem sententiam Doctoris Fothergilli (*a*) Vomitionis utilitates in Mania & similibus aliis morbis, pendere ab incremento vitalis vis in illis partibus quae afficiuntur, ejusdemque in aliis imminutione. Sive autem illius effectus versari circa systema sanguiferum cum D. Briano Robinsono sive circa nervosum, cum D. Fothergillo putemus, sive demum cum Culleno arbitremur unumquemque Incitamenti gradum, adjunctum sibi habere parem omnino gradum debilitatis seu, ut cum ipso loquar Collapsus vomitus saluberrimum remedium jure habendus est (*b*).

Hic

(*a*) Vide Dissertationem inauguralem. Pag. 15.

(*b*) Nonne autem possumus deducere utilitatem, quam *Emetica* hoc vel illo modo producunt, ex nexu, qui inter Ventriculum & unamquemque Corporis partem, saltem cum partibus vitalibus, obtinet, ut observavit Cel. Johannes Hunterus? Vide Observations on certain parts of the animal Æconomy. Pag. 116. ubi animadvertit, Ventriculum inter & unamquamque Corporis

Ani-

Hic afferere non aufim quaenam *emetica* potiora fint, tamen primas jure fibi vindicare *antimoniales* (feu *ftibiatas*) arbitror. In *Emeticorum* delectu & varietate veteres longe fuperamus, qui, quamvis plurimum virtutes laudarint, cum in depellendis, tum etiam in avertendis morbis, nulla habuerunt tamen, nifi quae vel nihil prodeffent, vel inferrent etiam periculum; pofteriori huicce generi annumerari poteft percelebre Remedium quod dicitur Helleborus.

Quamvis hujus in purgando praecipuum munus fuerit, apud Plinium (*a*) tamen videre eft commemoratam unam Hellebori fpeciem, quam *candidum* vocat, dicitque vomitum procreare, & caufas fugare Morborum. Ufitatisfimus autem apud veteres *niger* fuit, qui feliciffimus fuiffe videtur, praefertim in *Anticyra*, qua in infula, tefte eodem Plinio, admixtus feminibus *Sefami* adhibebatur. Sed nos aut artem perdidimus, aut degener Helleborus virtutes amifit fuas aut quod non minus

---

Animalis partem dari *Sympathiam*, & viceverfa inter fingulas partes & Ventriculum.

(*a*) Vide Plin. Natur. Hiftor. Lib. 25. C. 5. Pag. 457.

nus probabile videtur, virtus quae ipsi inesse dicebatur imaginaria tantum fuit. Tanta esse in mentem vis Hellebori dicebatur, ut etiam a sanis & valetudine vigentibus, ad purgandam intelligentiam (*a*) adhibitus fuerit, hujus generis remedio ex antiquis scriptoribus plures alludunt; sic Horatius (*b*) de felici Insano loquens hæc habet:

Hic ubi cognatorum opibus curisque refectus,
Expulit Ellebro morbum bilemque meraco,
Et redit ad sese: Pol me occidistis, amici,
Non servatis, ait &c.

atque alibi idem ille (*c*) poeta eligantissimus eadem de re sic loquitur:

Danda est Ellebori multo pars maxima avaris:
Nescio an Anticyram ratio illis destinet omnem.

In-

(*a*) Sic & in Aulo Gellio legimus Historiam de Carniade Academico, qui, in hunc scopum Helleborum sumebat, ubi se ad refutanda Zenonis stoici scripta accingebat.

(*b*) Vide Epist. 2. Lib. II. vers. 136.

(*c*) Vide Sat. 3. Lib. II. v. 82.

Inter *draſticas purgationes* niger Helleborus habendus eſt, ideoque curandae maniae non parum inſervire potuit; conſtat enim purgando vaſa repleta nimis ſublevari poſſe, quamvis Helleborus nulla vi gaudeat peculiari & inſita; ſed jam non immerito repudiatur tanquam ancipitis aliquid periculique habens. Quod vero ad purgationes generatim ſumptas attinet, licet crebro in tractanda mania fuerint uſurpatae, tamen hoc ſolum utilitatis afferre videntur, quod corpus debilitent, & ne conſtipetur venter, (ut vulgo fit in Mania) impediant. Qui Maniae ſanandae dant operam, caput radere ſolent, eam ſane partem refrigerare, & ad remedia accipienda diſponere non parum proderet, animadvertit Cullenus ſudore ibi excitato aliquid exinde utilitatis derivari. Ipſe ego vidi capite leniter fricato manifeſtum percipi commodum, levari Capitis dolores, & ſimul ſoporem incuti, præcipue vero ſi mollis quaedam accedat & externa *embrocatio* quae modice ſtimulet. *(a)* Eodem conſilio adhibebantur *Veſicato-*

(a) Ex ingenti, quod poſt applicatum Æthera ſentitur frigus, jure poſſumus concludere ad hujus etiam

no-

toria, ſed quamvis ejusmodi remedia omnibus Corporis partibus applicata non parum doloris aegro ferebant, vix ullum morbi levamen ſequebatur, niſi recens fuerit morbus, tunc enim utilitatis aliquid exinde profluere poſſet. Non illibenter cum D. Culleno crederem, neque haec conſtanter adhibita, neque alia hujusmodi remedia multum profutura', niſi de *metaſtaticis* agatur (*a*) caſibus ubi cauſa remota ex retentis corporis effluviis oriri poſſet.

Saepius quoque uſurpabantur *Sternutatoria* & illud non infeliciter, ſive quod ſolito major profluit e naribus humor, ſive quod corporis compages crebris ſternutamentis conquaſſantur.

Non raro in Maniae curatione adhibitum eſt Opium, & ut narrat Barnard Hewet (*b*) pro-

---

noſtris in Caſibus utilitatem, quamvis nunquam mihi hujusmodi inſtituendi experimenti fuerit data copia.

(*a*) Supponi merito poteſt dictos Maniae caſus, qui metaſtatici vocantur peculiarem curae methodum requirere, quum vero generalia fundamenta practica jamjam ſufficienter admodum expoſuerim, quae diximus, parva cum mutatione, ad omnes tales caſus facile applicari poſſe putamus.

(*b*) Vide Hiſtor. Apoplecticor. ſub finem.

profpere, hic & ipfe hanc medicinam fubminiftraffe optime, & quonam modo tractaretur optima tradidiffe praecepta videtur, quosnam habere poffit fucceffus nunquam mihi propria conftitit experientia, plurimis tamen inductus rationibus illud libenter exiftimaverim in ejus adminiftratione, cavendum quam maxime, imprimis vero fi inflamationis aliquod fit indicium, ut in Mania plerumque accidit. Cumque ex hac medicina non multum fperari licet nifi fit & copiofa & faepius repetita, propter aegrotantis inertiam, non fine cautela fubminiftrari debet, diffolutam potius quam alio modo adminiftrarem, folida enim & accumulari poteft & nocere. Si quo pacto in aegrotum exerceri fimul poffet timoris frigorisque *fedativa* vis, multum nonnunquam fperare liceret, quod quidem fieri poffe videtur, immerfo ut notat (*a*) Cullenus ex improvifo in aquam gelidam aegrotante. Aliae quoque commendantur viae, quibus frigore afficiatur aeger; tales funt thermae pluviales, & methodus quo aqua frigida in Caput aegri demittitur dum ad collum usque in tepida recubat; quibus adjungamus percelebrem illam argillae ga-

(*a*) Vide Practice of Phyfic Tom. 4. P. 161.

galeam, glaciem denique & nivem quaè quidem nudato applicatae capiti multum profuere.

Postuletur forsan a me ut modum aliquem quo insania avertatur tradam, sed cum fusius dixerim, & cum ea res fuerit plurimis, praesertim vero ingenioso D. Arnoldo (*a*) prudenter, luculenterque disceptata, me ab eo supersedere posse existimo. Cum igitur ea quae in curanda Mania plerumque usurpantur remedia exposuerim, cumque de iis copiose satis pro tempore & viribus disputaverim, nunc tantum restat ut orem, speremque celeberrimis & eruditissimis hujusce clarissimae Accademiae, Professoribus benigne recepta fore juvenilia ausa, non oblitis & quam difficicilis in se res sit, & quibus ad eam eligendam causis fuerim inductus.

(*a*) Vide Observations &c. sub finem Tomi secundi.

F I N I S.